

**I**n nomine + Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.  
Introibo ad altare Dei.

Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

**J**udica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab ho-mine iniquo, et doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: Salutare vultus mei, et Deus meus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Introibo ad altare Dei.

Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Adjutorium + nostrum in nomine Domine.

Qui fecit cœlum et terram.

Profunde inclinatus sacerdos facit Confessionem:

**C**onfiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptista, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis fratres (*tibi pater*), quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, santos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos fratres (*te pater*), orare pro me ad Dominum, Deum nostrum.

**M**isereatur tui (*vestri*) omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis (*vestris*), perducat te (*vos*) ad vitam æternam.

Amen. Sequitur Confessio ministri.

**I**ndulgentiam, + absolutionem, et remissionem peccatorum nostrum tribuat nobis omnipotens, et misericors Dominus.

Amen.

Et inclinatus prosequitur:

Deus tu conversus vivificabis nos.

Et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

Et salutare tuum da nobis.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Et extendens, ac jungens manus, clara voce dicit:  
Oremus. et ascendens ad Altare, dicit secreto:

**A**ufer a nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras: ut ad Sancta sanctorum puris mereamur men-tibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen

Deinde manibus junctis super Altare, inclinatus dicit:

Oramus te, Domine, per merita sanctorum tuorum (**Osculatur Altare in medio**) quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.